Pragae Bohemorum, die 31 Augusti
1842.

Celeberrime Domine Collega!

Plantas vivas diu jamjam pro Te selectas, ob aestum vero
perniciosum per
totum adhuc mensem Augusti incredibili modo apud nos saevientem con-
tinuo retentas hodierno die tandem in cistis duabus compositae urbem
nostram deseruerunt et ad summum 10–12 Septembris /: uti mihi pro certo
assertum fuit :/ ad Te pervenient.

Multa vero obstacula respectu hujus rei mihi vincenda erant, nam institutio
nostra quoad vehicula cursus publici acceptionem cistarum vetat, quarum
pondus 40 libras et quarum longitudo 1½ pedem superat, siquidem via brevissime
in Italiam mittenda sunt /: per Austriam nimirum superiorem :/, quod vero
per Viennam facillime negotio, ast cum temporis dispendio satis magno fieri
potest. Necesse hinc erat cistas jam confectas denuo vacuefacere et novas
minores parare simulque plantas aliquas, utpote: Acaciam floribundam, Fabriciam
myrtifoliam, Hakeam microcarpam et Melaleucam erubescentem ob longitudinem
illarum justo majorem seponere.

Spero nunc quod plantae optima sanitate fruentes ad Te pervenient, sanissi-
mas et vigentissimas selegi et studiosissime in cistas componere illas curavi,
addens plantae cujusvis numerum in tabella lignea, cum numero indicis hic adja-
centis correspondentem.

Plantas a Tua accipiendas benevolentia cum laetitia expectans salutem
Tibi plurimam dicit

Tuus

devinctissimus Collega

V. F. Kosteletzky

Praga

All

Sign. illustr.

Roberto de Visiani

Professore di Botanica e Direttore

dell' orto botanico della Università

di

Padova

PADOVA
1 SETT.